pædevtici cap. 6. v. 6. ſeq. continentur, ſi non omni, magna tamen parte allegare, eorumque ſenſum ſuum facere videatur. Tu, Amicorum optime, qui in paucis nomen profiteris tuum, noſſe debes ac potes, me & Tibi vera loqui. Quisquis vera loquens mecum conſentiet, conatum tuum diſputandi laudabit, diſputando ſtudium tuum cognoſcet, ac, quantum eruditionis in Te lateat, perſpiciet; exinde non ſolum de Te bene ſperabit, ſed etiam confidet, talem futurum, qualem aliqua ex parte jam cognitum judicaverit. Interea Te, mi Amiciſſime, ſic alloquor: Cathedram diſputatoriam conſcendens bono animo eſto, & Te virum præſta, ut eruditio Tua, quæ hactenus pene apocrypha, imo apocryptica fuit, tandem apocalyptica evadat; inimicique Tibi amici reddantur, ac frequentia auditorum Tibi, cathedra deſcendenti, plaudat, applaudat, & acclamet: Feliciter! Feliciter illud ut acclamet quoque auditorum frequentia, noli immemor eſſe, a quo felicitas illa proficiſcatur, nempe a Deo, datore omnis boni, qui implorandus eſt. Itaque ad calcem hujus epiſtolæ gratulatoriæ gratulor, ac precor, ut Tibi adſit DEI Trinunius *gratia immenſa, quæ judicium Tuum acuat, verba miniſtret effundenda, bonumque opus perficiat in Nominis ſui gloriam, & Tuum commodum ac emolumentum. Hoc precor & voveo, qui pergam eſſe*

Tibi

Amore
more
ore
re
addictus

Joh. Chriſtoph. Dürr/
cujus Symbolum:
Jeſus Coronat Dimicantes.

Scrib. Norib.
d. 6. Dec. 1715.

Coll. diss. A. 114, misc. 46

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn326620303/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG